



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

24. Henrici Tertij Imp. Dat. Treuiris, Anno MLVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

pauperum concedimus sub eorum cura teneant, & iuxta suum arbitrium securè, quietè, & pacificè possideant, diuinâ obtestatione, & hac nostrâ Apostolicâ confirmatione taliter illis roboramus, vt nullus Imperator, nullus Rex, nullus Abbas, nullus Dux, nullus Comes, aut vice Comes, nullâ Ecclesiasticâ dignitatis, vel mundanæ conditionis magna, paruaq; persona alicui libero homini, siue alterius Ecclesiæ vel Domini famulo, vel ministro aliquid inde præstare, vel à præbenda fratrum quoquomodo abalienare præsumat, sed iuxta id, quod sanctæ Apostolicæ Sedi iure subiectum esse debet, & sub Mundiburdio Regum & Imperatorum constat, absque omni contradictione ad vsus Monachorum perpetualiter pèrmaneant, Si quis autem (quod absit) nefario ausu præsumpserit hæc, quæ, vel à nobis, aut alijs Prædecessoribus nostris S. R. Ecclesiæ Pontificibus sanctissimis ad laudem omnipotentis Dei pro stabilitate iam dicti Venerabilis Cœnobij statuta sunt, infringere, aut in quoquam violare studuerit, ex autoritate omnipotentis Dei per interuentum Beati Petri Apostolorum Principis, cuius vice fungimur, & nostræ humilitatis Apostolicæ constitutione anathematis vinculo inextricabiliter innodamus. Dat. XVII Kal. Februarij per manus Vdonis Sanctæ Apostolicæ Sedis Cancellarij & Bibliothecarij, & Tullensis Pinnicerij, Anno Domini Leonis IX. Papæ II. Indictione IV. Incarnationis Domini MLI.



24.

*Henrici III. Imperatoris Datum Treuiris, Anno  
MLVI.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si Ecclesiis vel Cœnobiis diuino cultui mancipatis alicuius patrocinii vel defensionis solatium aduersus insolentiam perfidorum vel malignorum hominum præbuerimus, diuinitus nos, proculdubio, remunerari confidimus. Quapropter fidelium nostrorum tam presentium, quam futurorum magnitudo comperiat, qualiter nos ob amorem Dei & per interuentum Carissimæ Consectalis nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, nostrique filii dilectissimi Henrici Quarti Regis, crebram & importunam querimoniam Theodoricæ Reuerendi Abbatis de Cœnobio Sancti Maximini benignè suscepimus de multis scilicet oppressiõibus, quas familia S. Maximini patitur, ab Aduocatis & Comitibus eam defendere magis, quam dissipare vel affligere debentibus, quæ non solum antiquis legibus destituta, sed ita potius in feruitutem Aduocatorum est omnimodis redacta, vt non quasi regalis siue regie

dotis



dotis eadem Abbatia, sed vt propria magis eorundem Aduocatorum esse videatur ancilla, vnde in præsentia nostri, aliorumque fidelium nostrorum Eberardi Treuirensis, Luitbaldi Moguntiensis Venerabilium Archiepiscoporum, Adelberonis Metensis, Theodorici Virdunensis, Episcoporum, nec non Ebbonis Fuldenfis, Ruobberti Prumiensis, Odaltrici Laureshamensis, Samuelis Vicinburgensis. Ruobberti Muorbacensis reuerendorū Abbatum, Godefridi Gerardi, Friderici Ducum, Gisilberti, Hermanni, Theodorici Einichonis & Berhdolfi de Struomburgh Comitum, aliorumque fidelium nostrorum duodecim de seruiantibus, qui Scaremanni dicuntur, & XXIV. ex antiquioribus de familia per sacramentum iurare & confirmare decreuimus, quibus legibus, vel iuri sub tempore Henrici Ducis Senioris & Henrici Ducis Iunioris seruiantes, aut familia loci illius subiaceret, qualiter placita & iudicia fierent, ad quem præbendarij, qui ante portam vel circa urbem sunt, aut in cellula, quæ Tauena, vel Apula dicitur, respectum habere deberent, vt ipsi & posterii eorum eodem iure, eademque lege exinde perfruerentur. Confirmatum est itaque eorum sacramēto, quia Aduocati Abbatiae illius vbicunque in Regno nostro sita sit, non nisi ter in anno, & illi qui Hunnones dicuntur, tertio tantum anno, nisi recens furtum fuerit, aut ex parte Abbatis vocati fuerint, placitare in Abbatia non debeant quicquid autem in illis tribus placitis Aduocatorum vel Hunnonum clam aut apertè, retro vel ante in via illuc, vel inde eundo aut redeundo quisque reus Vadiauerit: arbitrio Abbatis, vel præpositorum aut Villicorum & meliorum, qui in Curtibus sunt, secundum culpam & facultatem vniuscuiusque hominis disponatur, inde duæ partes Abbatis, tertia Aduocatis tribuatur. Si cuius bona vel prædia propter aliquam culpam vel querimoniam in placitis Abbatis, id est budingun dominicata vel publicata fuerint. Omnia Abbatis erunt, nisi bonis eisdem postquam villici Abbatis ea in custodiam susceperint, se quilibet temerè intromiserit. De bonis autem quæ Aduocatorū placitis publicata fuerint duæ partes Abbatis, tertia verò pars in eodem tantum anno rerum & frugum Aduocatorū erit, postea verò nihil ad eos pertinet, quid Abbas inde disponere velit, Aduocati autem seruitia in Curtibus, in quibus iure dabuntur, cum villicis & Scauionibus accipiant & non emittant, vel vendant, quia ad hoc eis donantur, vt quicquid Abbatis vel familiae aduersitatis contigerit, corrigant, quod si non fecerint, & bis vel ter aliquid in agris aut vineis, vnde damnum habet Abbas aut familia, eis accusatum, aut denunciatum fuerit, & non correxerint, seruitio eos Abbas constringat, donec ea, quæ in prioribus binis aut tribus placitis accusata sunt, ad correctionem perducant. Si quis propter furtum, vel latrocinium captus, aut iusto iudicio dijudicatus vel damnatus fuerit, substantia illius & omnis possessio Abbatis erit: Aduocatis verò de homine, quod iustum est, aut quod sibi & alijs comprouincialibus suis melius visum fuerit, agere licebit. Si aliquis ex familia interfectus fuerit, pretium illius, id est Weregelt, si sine Aduocato acquiri poterit, totum Abbatis erit: si autem per Aduocatum acquisitum fuerit, tertia partem Aduocatus habebit: seruiantes verò, qui præbendarij sunt, & qui fratribus infra claustrum seruiunt, siue in ipso loco, vel in cellulis illuc pertinentibus, id est, Apula vel Tauena, quamuis iam diu destructis, Deo tamen, nostroque & dilectissimæ coniugis nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, si vita comes fuerit, auxilio patrocinante construendis & recuperandis siue qui foris vel intus Dagescalci, vel pistores, bouarij aut piscatores, coci aut lauatores, vel quicumque foris vel intus quotidiano seruitio fratribus seruituri sunt, nulli Aduocato, neque Hunnoni subiaceant, sed tantum Abbatis, suisque præpositis, pro quibus

cunque




cunque culpis suis, respondeant, vapulent aut euadant, si Villani vel Mansionarij debitum censum, vel seruitium Sancto Maximino & Abbati volunt denegare primum per alios Iudices, deinde in ipso principali loco Treuiris, vnde viuunt per illos iudices ac ministros; qui Scaremanni dicuntur, & qui meliores sunt Ecclesie constringantur: sin autem per cartam & Aduocatum, ad vltimum verò per manifestum Iudicium, in quo si conuicti fuerint, omnibus bonis suis ad manus Abbatis attractis carebunt, & ius, quod Abbas eis, postea concesserit, habebunt, seruietes verò qui Scaremanni dicuntur, nulli Aduocato nisi Abbati subiaceant, nulli eorum seruiant, nisi beneficia ab eis habeant, aut Abbas pro necessitate & vtilitate Monasterij, cum illis eos alicubi ire præcipiat, Aduocatus vero Giselbertus, qui in præsentiarum est, alijque Successores ipsius, qui bannum à Regiâ manu susceperint, proxima die post Festum Sancti Maximini super prædia & mancipio eorum, qui ministri vel Scaremanni dicuntur, illa sola die, si festum celebre, vel ieiunium non fuerit, placitabunt, sin autem, cum prima pulsata fuerit, placitum intrabunt, & vsque ad nonam horam illud tenebunt: postea verò nullum ibi diutius stare, distringere poterunt. Et quicquid ibi placitando acquisierint, duæ partes Abbatis, tertia ipsorum erit, eadem verò die Abbas, ipsi Aduocato, quicumque est, seruitium dabit, duos scilicet modios panis, Friskingos IV. ouinos, & amam vnam vini: si amplius habere voluerit, de placito habebit. Si quis ex Villanis, vel Mansionarijs, qui circa urbem, vel in alijs longè, vel prope positis Curtibus commanent censum debitum, qui ad vsum fratrum quotidianum, siue in lignis, aut in alijs quibuslibet rebus pertinet, neglexerit, & statuto die vel tempore non dederit, statim sequenti die Villicus Abbatis Vadimonium de domo ipsius, siue Aduocato tale accipiat, cum quo illud, quod ipse ad seruitium debuit fratrum, plenissimè persoluat, cæterum verò seruitium eius in eadem Curte, in qua habitat, ab eo prout iustum est, exigendo requirat, nusquam nisi inter se nubant, aut vxorem ex familia Sancti Petri accipiant: Ita tamen, vt alteri Ecclesie altera damnum non inferat, sed per successiones filiorum aut filiarum, quod suum est, vtraque Ecclesia retineat, si homo in hominem verbis aut factis deliquerit, nec Abbas, nec Aduocatus in rationem id ponere debet, nisi præsens sit aliquis, qui eum accuset, aut res talis sit, & inter se clam & apertè pacificati inde fuerint, ibi culpa paret, omnes Ecclesie & salicæ decimationes, tam in agris, quam in vineis, siue in syluis vbiunque in prædio Sancti Maximini iacentibus, tam in Kiliwualde, quam in sylua circa Curtem Steinsiel, vel Castrum Luzelenburc, aut in Hart, vel Waber, iuxta Taleuanc adiacente, ad susceptionem hospitem & pauperum debent pertinere, in suis vero syluis, quas adhuc Abbas, aut fratres habere videntur, quicquid sibi vtile videbitur, exceptis feris bannitis, decet eos liberè disponere. Addimus etiam nos, & nostra Imperiali autoritate firmissimè interdicens, vt nullus Aduocatorum aliquod placitum præter tria iure debita in Abbatia habeat, nullus illorum hospitia seu seruitia in Curtibus Abbatis aut fratrum, siue à rusticis, violenter exigat, nullus eorum per incisiones aut petitiones, homines grauare, aut vi pecora illorum, aut parauerodos tollere præsumat, quia sex millia, septingentos, quinquaginta & amplius mansos de bonis Sancti Maximini, vnde Abbas in militiam ire & nostræ contæali, vel nobis in secundo semper anno seruire debuit, ad hoc idem Aduocati ex nostra parte habent in beneficium, vt cætera, quæ fratribus remanserant absque omni Aduocatorum molestiâ, quiete possideant. Harum omnium rerum te-



stem cartam hanc inde conscribi & Sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici Tertij Regis inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Winitherius Cancellarius vice Liutboldi Archicancellarij & Archicapellani recognoui. Data prid. Ka. Iulij anno Dominicæ Incarnationis MLVI. Indictione IX. Anno autem Domni Heinrici Tertij Regis, Secundi Imperatoris ordinationis XXVIII. Regni vero XVIII Imperij X. Actum Treuiris in Domino feliciter, Amen.



25.

*Henrici III. Imperatoris Datum in Botuelt, Anno  
MLVI.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si locis diuino cultui mancipatis alicuius honoris & augmentationis sublimitum præbuerimus, diuinitus nobis remunerari procul dubio credimus. Quapropter omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium præsentium ac futurorum solers comperiat sagacitas, quomodo nos ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum, nec non per interuentum carissimæ contestalis nostræ, scilicet Agnetis Imperatricis Augustæ, nostrique filij dilectissimi Henrici Quarti Regis, Theodorico Reuerendo Abbati de Sancto Maximino, suisque Successoribus largiti sumus, concessimus ac perdonauimus, Ius, potestatem, securamque licentiam mercatum & monetam construendi, faciendi ac per omnes semper hebdomadas in feriâ quintâ tenendi, tali legitime stabilitatis ordine, vt idem Abbas tam ipse, quam & sui Successores in sua liberali potestate teneat, regat & perpetualiter habeat idem mercatum cum monetâ, teloneo, ac totius publicæ rei functione & dispositione in quadam villa Billiche dicta ad Sanctum Maximinum pertinente, in pago quoque Moselgawi & in Comitatu Bertoldi Comitis sita; Proinde volumus & Imperialiter edicimus, vt omnes homines præsentis, futuriq; prædictum mercatum visitantes cum omni pace illuc eant, redeant, compareant, & quidquid illis placuerit, sicut in alijs publicis mercatis vendant, nostrâ, omniumque nostrorum succedentium contradictione remota. Quicumque autem huius nostræ autoritati concessionis & potestatiq; perdonationis contradictor & violator in aliqua re extiterit, sciat se componere nostrum banum, ita sicut ille, qui mercato Moguntia, Colonia & Treuiris contracto & contaminato damnatus fuerit. Et vt hæc nostra Imperialis donatio stabilis permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria corroborantes sigillare præcepimus.

Signum Domini Henrici Tertij Regis inuictissimi Secundi Romanorum Imperatoris Augusti. Winitherius Cancellarius Vice Luithboldi Archi-

Ff

can-